



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118847

§. 13. Protestantium Comitia Pragæ contra Regni leges habita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67326)

que conservandæ designati erant, eis-
dem præceperunt, ut cæptis Templi
operibus impigre instarent, Regisque
mandata flocci haberent. Tanta est
sectarii spiritus impudentia! Parem Fa-
ni construendi licentiam sibi arrogabant
Clostergrabienses Lutherani; cum vero
a Cæsare hunc ausum reprobari sensis-
sent, cæptum opus funditus subruï per-
miserunt, ac de reparatione haud sol-
liciti, solum alienum Domino suo pos-
sessorique liberum reliquere: ob hanc
tamen submissionem tanquam *imbelles*
& *effæminati* a ceteris Sectariis tradu-
cebantur. Ita nempe apud hosce No-
vatores crimen est in subditis, obedire
suis Præpositis, si hi religione Catho-
lici sunt.

Sæc. XVII.
A. C. 1618.

§. XIII.

Protestantium comitia Pragæ contra Regni leges habita.

Interim Bohemi Protestantes suam in
Regem suum ac Cæsarem pervica-
ciam excusaturi, ubique sparserunt,
violata esse Majestatis privilegia sibi o-
lim a Rudolpho Cæsare concessa: Ut
igitur hujus querelæ momenta matu-
rius discuterentur, Mathias Impera-
tor ac Bohemiæ Rex anno Christi mil-
lesimo sexcentesimo decimo sexto Ru-
dolphi-

Jæger. hist.
Ecc. l. 8. c. 1.
Massen. An-
nal. Trev.
lib. 23.
Bracheli.
Hist. nost.
temp. l. 1.
pag. 5.

Sæc. XVII. A. C. 1618. dolphinum hoc diploma, quo niti contumaces illos intellexerat, in arce Brandisina ad examen vocari iussit, hancque in rem Henricum Comitem Turrianum Regiæ coronæ Custodem rebellium Principem, Udalricum Gerstorffium Curia Regiæ Procuratorem, & alium e numero Civium, præter peritissimos Jure-consultos præsentés esse voluit. Re autem probe discussa, atque in utramque partem librata pronuntiatum est, in diplomate Majestatis datam quidem Regni *Ordinibus* nova „condendi Tempia in *Regio fundo* facultatem fuisse, nullatenus autem permissum, in Ecclesiastici dominatus fundo pro cujusvis arbitrio, Dominis inviditis, Tempia erigere; nec Rudolphum Cæsarem voluisse, aut potuisse, jura Sacrorum lædere, aut beneficium ulli cum præjudicio tertii concedere, de cetero Regum ac Legislatores, non autem subditorum esse, dubia legis interpretari. Protestantes hujus sententiæ æquitatem, cum rationibus haud possent, obtenta Cæsaris inscitia eludere præsumebant, palam in suis comitiis affirmantes, quod Mathias Rudolphi mentem minime affecutus, in errore versaretur, proin ejus imperiis obsequium palam abnuendum esset. Haud ultra Imperator tam aperte tamque iterato

rato Majestatis contumeliam impune in se accipere poterat, quin tot veteres injurias dissimulanter ferendo, provocaret in se novas; quocirca missis Pragmam novis mandatis, cum Lutherani parere renuissent, ex Brunoviensibus magis seditiosos in custodiam rapi, Templum claudi, illiusque claves ad Regiam Curiam deportari jussit. Hoc erat (simulac effectum est) communis veluti rebellionis classicum; mox enim ineunte hujus anni Mense Majo sectæ Defensores, exclusis Catholicis, invito, inconsultoque Cæsare altera habuere comitia, licet id Regni legibus vetitum esset: Ibidem indignas adversus Regia edicta expostulationes jactatæ, effusæ querelæ de abrepta Sacrorum libertate, de literis Majestatis in pravos sensus detortis, oppressisque Utraquistis, nec non universis Bohemici Regni privilegiis iniquissime pessumdatis; consulendum igitur de rationibus conservandæ immunitatis, ac Religionis, quam si legum auctoritate non possent, armis vindicare necessarium. Ad hanc provocationem eo proniores erant Sectariorum aures, quo impensius ipsi etiam Defensores conjurati jam ante hæc comitia bellum inter se decreverant, ac cum ceteris Germaniæ Protestantibus foede-

Sæc. XVII.
A. C. 1618.

*Vid. Supra
lib. 188.
S. 48. Et seq.*

Sæc. XVII. foedera contra Cæsarem, Domum Au-
A. C. 1618. striacam, & Catholicos inierant.

§. XIV.

Cæsaris literæ ad Protestantes Bo-
hemice Ordines.

Arthus
Dantisc.
tom. 12. l. 3.

Tam insolens Utraquistarum protervia
 graviter offenderat Imperatoris cle-
 mentissimi animum; cum vero hic Re-
 giam auctoritatem suam hisce ausibus
 proterve violari, indeque funestissima
 quæque oritura probe prospiceret, Pro-
 testantes Bohemos, ut a nefario suo
 proposito desisterent, sequentibus lite-
 ris Vienna Pragam datis dehortatus
 est. „Haud ignoro, vestra comitia ad-
 „versus meam Personam fuisse celebrata;
 „quæ enim contra Brunovienses & Clo-
 „stergrabienses acta sunt, meipsum con-
 „cernunt, meoque jussu facta fuere: Vos
 „vero Rudolphini Cæsaris diploma, &
 „transactionis inter vos & Catholicos
 „factæ limites egressi, alienos subditos in
 „iniqua causa & seditione adversus
 „meam sententiam protegere, populum-
 „que concitare ausi estis, sparsoque in
 „vulgus rumore de abrogandis literis
 „Majestatis, & milite externo hanc in
 „rem evocato, populorum simplicitati
 „illusistis, nomenque Regium invidiose
 tra-